



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindellicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio XXXIX. De ardenti desiderio Filii Dei in cruce redimendi
preditum mundum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO XXXIX.

De ardenti desiderio Filii Dei in cruce redimendi perditum mundum.

Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Psal. 37. 10.

I.

Vix Protoplasti ac protoparentes nostri pomum illud vetitum ex arbore scientiæ boni & mali contra expressum Dei mandatum degustaverant, mox Filius Dei in terrestri illo paradiso auditus est post meridiem ad auram lenem deambulans, ad cujus conspectum ac præsentiam Adam sine mora cum consorte sua sese inter densissimas abscondit arbores: *Et cum audissent vocem Domini Dei ambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam & uxor ejus à facie Domini Dei in medio ligni paradisi.* Gen. 3. 8.

Verùm ad quid ista ambulatio Filii Dei in paradiso, & quidem ad auram post meridiem; An fortasse primos istos prævaricatores ad Tartarum ablegare voluit, uti paulò antè cum Lucifero fecit: *Videbam Satanam, sicut fulgur de cælo cadentem?* Minimè gentium: sed alius hic quærendus est finis, Filius enim Dei jam tunc à mundi origine paradisi perlustravit arbores, ut sibi seligeret, ac designaret certum lignum, in quo Adamum & posteròs ejus suo tempore redimeret, ut, *unde mors oriebatur, inde vita resurgeret*; hinc rectè sancta Mater nostra Ecclesia: *Ipsè lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret.* Luc. 10. 18.

Collige ex hoc, animemi! ardentissimum illud desiderium, quo se Servator tuus jam à prima mundi ætate promptum exhibuit, ut suo tempore pro tua, omniumque salute in cruce moreretur. O charitas immensa! Potuisset te sine dubio justo judicio cum Angelis apostatis ob demerita tua perpetuo damnare supplicio, & ecce non dumtaxat tibi benignè pepercit, sed & decrevit pro te homo fieri, in omni inopia vivere, ac tandem in cruce pro te mori. O bonitas infinita: *In*

T 2

miseri-

Isa. 54. 8. *miseri cordia sempiterna misertus sum tui; dixit Redemptor tuus Dominus. Cogita hæc, & bene perpende.*

2. Reg. 23. 15. 2. David, dum erat in arce & spelunca Odollam, ingenti ferebatur desiderio ex cisterna Bethlemica bibendi aquam, qui locus tunc temporis intervallo à Philistinis erat cinctus & occupatus, proinde coram suis militibus in hæc verba prorupit: *O si quis mihi daret potum aqua de cisterna, qua est in Bethlehem!* Audierunt hoc Davidis desiderium tres viri fortes, Abisai, Bananias & Joathan, & ut suam in Regem fidem ac promptitudinem demonstrarent, ipso in seio per media Philistinorum castra usque in Bethlehem Davidis patriam penetrarunt, & sitiienti Regi desideratam aquam attulerunt: *At ille noluit bibere: sed libavit eam Domino.*

Quæres hic, cur David tantoperè illam aquam desideraverit, & cum allata fuisset, eam in terram effuderit, ac Domino consecraverit? R. S. Ambrosius, quia David superiori illustratus spiritu totam prævidit Christi post mille annos in mundum venturi passionem, ubi in cruce, sicut aqua, effusus est &c. Proinde non aquarum, inquit citatus Ecclesie Doctor, *sitiebat elementum, sed sanguinem Christi; unde non bibit oblatam aquam, sed Domino libavit, significans sitire se Christi sacrificium, in quo esset remissio peccatorum.*

Non minori siti Christus Filius David à primo conceptionis instanti & per omnem vitam anhelabat ad suam passionem ac crucem, dum jam tunc cœlesti Patri suo sese offerebat ad mortem crucis, & in holocaustum pro peccatrice hac anima mea in ara crucis offerendum; atque ut desiderii sui in hoc opere ostenderet magnitudinem, illud voto confirmavit: *Vota mea, id est Vulnera mea, Domino reddam.* O charitas immensa! quis vidit, vel audivit unquam simile? Potuisset piensissimus Salvator jam tunc & per omnem vitam omni affici honore, affluere voluptatibus, innumeris abundare divitiis &c. Et ecce meæ salutis causâ ignominiam pro honore, pro divitiis extremam paupertatem, & pro voluptate infamem elegit crucem: O amor! ô bonitas infinita! ô Domine! ô Amor crucifixe! quis satis amet te?

3. Progrediamur ulterius. Perambulabat aliquando Christus Dominus Jericho civitatem, stipatus ingenti hominum turbâ, inter quos etiam erat Zachæus primus inter Publicanos, sed staturâ pusillus, qui, ut Salvatorem videre posset, præcurrens ascendit in arborem Sycomorum, ad quem mox Dominus: *Zachæe, festinans descende.* Et quare festinans? Si bene ascenderat, cur illi dictum est *descende?*

Observant sacri Interpretes, quod per dictam Sycomorum crux Dominica fuerit præsignata, ita S. Chrysologus, Dionysius Carthusianus,

Luc 19. 5.
S. Chrysol.
serm. 54.
Dionys. Carth.
in Luc. 19.

stantus, Cornelius & alii communiter, in qua arbore & ficulnea fatua Zachæus stetit manibus ad ramos per modum crucis expansis, & sic quodamodò Crucifixum adumbrabat. Proinde præcepit illi mitissimus Servator: *Festinus descende*, servus non debet præcurrere Dominum, ego, ego ipse anhelus ad crucem, ego in ea exaltabor, ego per eam redimam mundum: *Hinc est*, ait citatus Carthusianus, quod dicitur ei *festinus descende*.

Vide ex hoc, anime mi, & considera, quali affectu & siti pretiosissimus Redemptor tuus semper in vita suspiraverit ad crucem; hinc dixit: *Baptismo autem habeo baptizari; & quomodo coarctor usque dum perficiatur.* Erat autem hic baptismus non alius quàm futura passio & cruentamors crucis, hinc summo urgebatur desiderio, donec perficeretur.

4. Ad Thaboræum montem nos conferamus; Et quid video? *Transfiguratus est ante eos, & resplenduit facies ejus sicut sol:* In qua Christi transfiguratione apparuerunt & Moyses & Elias, hic ex paradiso terrestri in curru igneo Angelorum operâ transvectus, alter ex limbo, ubi illius anima morabatur nunc cum corpore unita: *Erant autem Moyses & Elias vti in maiestate*, qui in illa gloria familiariter loquebantur cum JESU. Et quid, dices, ad invicem tunc locuti sunt?

R. S. Lucas: *Dicebant excessum ejus, quem completurus esset in Jerusalem.* Et qualis hic erat excessus? O cœli obstupescite! Loquebatur JESUS cum duobus illis Prophetis de imminente passione sua & de acerbissima morte crucis, *erat enim*, subintrat hic S. Augustinus, *nulla materia loquendi gratior, quàm de salute & redemptione mundi tractare.*

Ubi insuper notandum, quòd S. Lucas dicat: *Dicebant excessum ejus.* Et dic, obsecro sodes! ubi major fuit amoris divini excessus quàm in cruce, dum in ea pientissimus Redemptor noster transcendit omnes limites charitatis. O anima peccatrix! quid vicissim rependis amoris tuo crucifixo, pro tot affecto contumeliis, tot presso doloribus? quid rependis?

4. Pulcherrima erat illa confessio S. Petri, quam in præsentia totius collegii Apostolici de Christo fecerat: *Tu es Christus Filius Dei vivi:* in cujus confessionis præmium Petrus à Domino audire meruit: *Beatus est Simon Bariona, fecitque eum suum in his terris supremum Vicarium: Tu es Petrus, & super hanc petram adificabo Ecclesiam meam.* Et ecce stupendam rerum metamorphosin! Vix per aliquot gressus in via processerant, ubi Christus de imminente passione sua aliquam mentionem fecit, & quia Petrus contrariam tenebat sententiam: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc*, sine mora à pientissimo Salvatore nostro diabolus vocatus est: *Vade post me Satana, quia scandalum es mihi, quia non sapis ea, qua*

150 *Consideratio XXXIX. De desiderio Christi ad crucem.*

Dei sunt, sed ea, qua hominum. O Petre! quam subito scena mutata est, prius te canonizavit Christus: *Beatus es Simon Bariona, nunc te Satanam appellat, & abire à se jubet: Vade post me Satana?*

Respondent SS. Patres & Interpretes, quia Petrus in hoc ardens Christi desiderium patiendi, & in cruce pro salute generis humani moriendi impedire voluit, dæmonem in hoc imitatus, qui pari modo per uxorem Pilati crucis mortem in Filio Dei divertere, imò totaliter impedire conatus est: *Eadem increpatione, ait Cajetanus, emisit Petrum: qui emisit diabolum tentantem: Vade Satana &c.*

Cajetan. in
Matth. 4. 10.

Joan. 18. 11.

Et hæc causa erat, quòd idem Petrus etiam in monte Olivario de novo fuerit reprehensus, dum Malcho aurem amputavit: *Mitte gladium tuum in vaginam: calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Ecce Petrus novum obstaculum Christo ad mortem crucis properanti ponere voluit, dum se armatis opposuit, quibus tamen non valebat resistere; Et licet hoc ex fervore & zelo tuendi Christum, & è manibus inimicorum eum eripiendi causâ fecerit, ob temeritatem tamen à Christo hanc castigationem meruit: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?*

Surius 13. Decembr.

5. Coronidem huic Considerationi imponat S. Orestes miles Christianus & gloriosissimus Martyr, qui sub Diocletiano Imp. dimicans, semper auream è collo crucem gestavit. Accidit, cum sese faciendis missilibus cum cæteris suis commilitonibus ad scopum ipso præsentè Lysia exercitus duce exerceret, ut crux aurea è pectore pendula solutis nonnihil vestimentis ejus palàm appareret; Miratur Lysias in forti milite hoc insolitum crucis signum, cui Orestes intrepide: *Christianus, inquit, sum, & servus crucifixi Domini mei, & gesto hoc signum ad omnia mala avertenda, qua mihi ingruunt.* Ad quod ex mandato Lysie sine mora comprehensus & in vincula coniectus est; & cum Christum crucifixum constanter prædicaret, post varia exantlata tormenta demum in candenti craticula prostratus, & in modum crucis ad imitationem Domini sui crucifixi extensus, inter has voces felicem martyrii cursum consummavit: *Domine Jesu Christe, in manus tuas commendo spiritum meum.*



CON-